

existinxit ac sustulit: cui primum mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacerare fortissimum virum auderet, vin-
cereturque ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem
et licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne
mediocri quidem, judices, deorum immortalium cura, res
illa perfecta. Religiones mehercule ipsae, quae illam belluam
cadere viderunt, commovisse se videntur, et jus in illo suum
retinuisse. Vos enim, Albani tumuli atque luci, vos, inquam,
imploro atque testor, vosque Albanorum obrutae aiae, sac-
rorum populi Romani sociae et aequales, quas ille preeceps
amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum
insanis molibus oppresserat: vestrae tum aiae, vestrae
religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere
polluerat: tuque ex tuo edito monte Latiaris, sancte Jupiter,
cujus ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro
et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos
aperiuitis: vobis illae, vobis vestro in conspectu serae, sed
justae tamen, et debitae poenae solatae sunt. Nisi forte
hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium
Bonae deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis
honesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam
deam, cum praelium commisisset, primum illud vulnus
acceperit, quo taeterrimam mortem obiret: ut non absolutus
judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam
reservatus.

XXXII. Nec vero non eadem ira deorum hanc ejus
satellitibus injectit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu,
sine ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus,
sine funere, oblitus cruento et luto, spoliatus illius supremi
diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambu-
reretur abjectus. Non fuisse credo fas, clarissimorum virorum
formas illi taeterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque
ullo in loco potius mortem ejus lacerari, quam in quo vita
esset damnata. Dura mihi, medius fidius, jam fortuna populi